

bus deiciuntur ei desperant, quasi Deus ab ipsis longe sit, nec videat afflictionese orum? Quam denique perperam agunt ii, qui dum omnes creaturæ Deum perpetuo laudant ejusque voluntati se accommodant, ab eaque regi se et quaquaversum moveri patiuntur, ipse soli Deo repugnant, cum pravis operibus et blasphemis etiam maledicunt? Quam enim merito in tales insurgere omnes creaturæ deberent, et vero insurgerent si Deus sineret?

IV. Quid denique longitudo, nisi æternitas? Per quam primò, ab æterno est, eritque in æternum necessario, quod nulli competit creaturæ: licet verò rationales creaturæ sint æternum duraturæ, possunt tamen annihilari, et cessare. Unde nemo hominum, æternitatis titulum arrogare sibi ausus est, licet aliqui divinos sibi honores arrogarint præter Constantium imperatorem qui *imperator æternus* dicebatur, quia non ad tempus certum, sed ad vitam imperator erat. Sed o quam vana hæc æternitas, quæ respectu æternitatis Dei, non nisi punctum est; siquidem: *Mille anni ante oculos Dei tamquam dies hesternæ quæ præterit, et custodia in nocte (quæ est trium tantum horarum); quæ pro nihilo reputantur, eorum anni erunt.* Qualis enim et quam longa sit vita nostra, mox declarat: *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat: vespere decidat, induret et arescat.* Siquidem mane, id est, in pueritia sicut herba viret corpus humanum, sed mox transit ad juventutem: in meridie juventutis floret, et statim transit ad senectutem: in vespere senectutis decidit, in morte duratur, in sepulcro arescit. Sed quoniam ævum nobis superest, sive in gloria sive in confusione, tanto magis providendum nobis, ut ne a gloria excidamus.

Quam ergo execranda res est propria voluntas, de qua S. Bern. ait, quod tantum in se est, vellet occidere et destruere Deum, ut Deus desineret esse et ut non esset qualis est.

Secundo, immutabilis semper et idem ipse est, juxta id Ps. CI. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Qualis enim ad æterno fuit talis nunc est et erit, semper, non senior, non expertior, non major, non minor, non ditior, non pauperior, non fortior, etc. Unde Malach. III. ait: *Ego Dominus et non mutor.* Nulla creatura talis, nec ipsi quidem beati, qui in multis sunt mutabiles.

Quam ergo insaniant, qui fluxis et tam variabilibus adherent rebus, bonum verò semper idem et immutabile non quærunt? Quam stulti, qui carnis pulchritudinem amant, quæ ut flos decidit, pœnas vero æternas evitare nihil curant?

Tertio, nihil ei novi accedere, nihil deperire

potest. Unde sicut mundi creatio nihil et attollit gaudii aut felicitatis; ita ejusdem interitus et annihilatio nihili afferet damni aut mœroris; quia sibi soli est plenissime sufficiens. Sicut monarcha totius orbis nihil faceret si periret, ei villa; ita Deo nihil decederet, si totus mundus periret, quia: *Tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani,* ait Salomon, Sap. XI. Ad hæc licet omnia pereant, manent tamen in ipso contenta eminenter. Quare nemo sibi blandiri debet, quasi multum pro Deo fecerit, aut suis laboribus aliquod ei beneficium præstiterit. Nam præterquam quod ea a nobis jure exigere potest, omnia ista nihil ei prosunt, sed nobis tantum et proximis nostris. Unde apostolus, in hodierna epistola: *Quis prior dedit illi et retribuetur ei?* Rursum frustra insaniant, qui suis maledictis et blasphemis Deo nocere, mœrorem inferre, et de illo se ulcisci putant: caput enim rupi illidunt, neque illam lædunt; sed seipsos perimunt. Quidquid in illam impingit, confringi debet: hinc Job XXXV. dicitur: *Si peccaveris, quid ei noceris? Et si multiplicata fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Igitur: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, etc.*

CONCIO V.

QUATUOR ATTRIBUTA DEI, QUÆ RESPICIUNT CREATURAS: POTENTIA, SAPIENTIA, MISERICORDIA, JUSTITIA.

I. Dei potentia: 1. Est illimitata. 2. Miræ celeritatis. 3. Summa cum quiete. 4. Summa cum potestate. — II. Dei sapientia: 1. Est infinita. 2. Perspicacissima. 3. Simul omnia videt. — III. Dei misericordia: 1. Pronissima ad miserendum. 2. Misereatur ultra condignum. 3. Nemini misericordiam denegat. 4. Nostras miserias in se suscipit. — IV. Dei justitia: 1. Exactissima. 2. Inevitabilis. 3. Severissima. 4. Gravissima.

THEMA.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Rom. XI.

Ezechiel propheta in celebri illa visione, cap. 1. mirabilem Dei currum vidit, tractum a quatuor animalibus, leone, aquila, homine, bove. Porro currus ille designabat Dei providentiam, qua gubernat universum mundum. Quatuor animalia ostendunt quatuor primaria Dei insignia, seu attributa, quibus respicit et regit creaturas. Leo, Dei potentiam et fortitudinem; quid enim leone fortius? Aquila, Dei sapientiam; quid enim aquilinis oculis acutius? Homo, Dei

misericordiam et clementiam; quid enim homine humanius et mansuetius? Bos, Dei justitiam, sive ob incessum gravem et moderatum, sive quia utilissimæ suo labore meretur quasi ex justitia pabulum suum, juxta id: *Non alligabis os bovi trituranti,* 1. Cor. IX. His quatuor animalibus perambulabat quodammodo Deus universum orbem, omniaque administrat. Ergo eamus et videamus currum istum atque animalia: expendamus quantam et qualis sit Dei potentia, sapientia, misericordia, justitia.

I. Quanta et qualis est Dei potentia? Primo, est illimitata et incircumscripita: *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum,* Luc. 1. et Matth. XIX. *Apud Deum omniaabilia sunt.* Potest ergo non solum omnia etiam ex nihilo facere, quæ de facto fecit, sed etiam quæ excogitari a mente non modo humana et angelica, sed etiam divina possunt; quia potest facere quidquid non involvit contradictionem, seu non esse simul cum esse. Quanta autem et quam mira sunt, quæ homo, quæ angelus, quæ Deus excogitare potest? Potest ergo creare alios et alios mundos majores isto, deinde alios et alios specie distinctos, isto longe præstantiores. Deinde, potest omnia rursus perdere et annihilare, adeoque in momento exsufflare longe facilius quam ergo pulverem de his cancellis. Potest camelum introducere per foramen acus, Matth. XIX. potest quovis facere quidvis, uti luto illuminare oculos, Joan. IX. potest corporibus dare modum existendi incorporeum et invisibilem, ut in eucharistia patet.

Secundo, operatur mira celeritate, et si vult in momento quidquid facit, facere potest. Opera sex dierum singula uno verbo *fact*, in momento effecit, uti sentit D. Augustinus, et indicat Ecclesiast. c. XVIII. dicens: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Et si voluisset, potuisset omnia quæ in sex diebus fecit, simul uno et eodem instanti creare: mysterii solum gratia in sex dies opus distinguere voluit.

Tertio, facit omnia summa cum quiete et animi tranquillitate. Neque enim laborat aut fatigatur operando, neque indiget ope et subsidio causarum secundarum; sed quidquid per creaturas efficere potest ac solet, id etiam per seipsum potest. Neque etiam laborat in executione voluntatis suæ, sed quidquid ejus voluntas potest velle, id omnipotentia ejus statim exequitur, nec est qui consistere possit. Hoc judicandum Gen. 1. cum in creatione mundi dicitur: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Non enim loco aut motu; sed, omnia superante ac præcellente potentia, aquis, undè alias creaturas educturus erat, incubabat velut artifex, quasi

tam facili negotio omnia creaturus, quam facile quis digito in aquam scribit.

Quarto, habet in omnia summam potestatem et auctoritatem faciendi quidquid vult, quia omnium iudex et absolutus dominus est, nemini quidquam debet; unum vocare ad se potest, ut obediat: potest alium non ita vocare; nec est ut quis ei dicere possit: *Cur ita facis? Amice, non facio tibi injuriam,* ait in parabola operariorum: *Annon licet mihi facere quod volo?* Hinc ad Hebr. 1. dicitur: *Portans omnia verbo virtutis suæ,* id est, potentissimo jussu suo omnia gerens ita, ut si ipse tantum os aperiat, omnia statim ad unguem fieri debeant. Quæ omnia discimus partim ex Scriptura sacra, partim ex creatione mundi, quem ex nihilo, solo jussu tam omnibus rebus instructum fecit; partim ex infinita ejus essentia, quam sequitur et potentia velut proprietatis, ut tanta sit quanta est ipsa essentia.

Porro hæc consideratio tres potissimum affectus excitare in nobis debet. Primo, affectum reverentiæ, et submissionis. Quis enim cogitans se tam potenti Domino usquequaque subjectum esse, non summe eum revereatur? Non diligentissime ei obediat? Unde Sap. XI. dicitur: *Virtuti brachii tui quis resistet? Quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Momentum stateræ, Græce est inclinatio stateræ in hanc vel illam partem. Vult ergo dicere Sapiens: Sicut libritenens minimo motu vel digito potest quam in partem vult, stateram inclinare, ita in sua manu habet corda nostra Deus. Et sicut gutta roris a gramine dependet, et a radio solis statim absorbetur; ita nos a Deo pendemus, qui etiam potest nos, si vult, illico absorbere et perdere. Possunt forte cives aliqui scabiose loqui de rege, cujus subditi non sunt; sed de rege suo quomodo hoc audeant? Deo omnes subjecti sumus.

Secundo, affectum timoris, quando tam potenter homines affligere et grassari in animam et corpus potest, quod non possunt homines. Potest enim in æternum continuare pœnam eamque adeo intendere ut omnis mundi pœna, blanda et mitis; imò ludus parvulorum, ad illam habeatur. Pharaonem non per leones et elephantes, tigrides, sed per ranas, muscæ, ciniphes vexavit et edomuit: Herodem itidem fastuosum vermiculis absumpsit, Act. XII. Populum Poloniæ principem muribus devorandum dedit. Quis non timeat ergo tam potentem Deum, qui etiam minimis suis animalculis deprimere summos potest?

Tertio, affectum fiduciæ. Si enim omnium potentum manus suo fræno ligatas continet; si minimis quibusque rebus maximam efficere

potest; quid timemus creaturas? Sine ipsius nutu et permissione nemo capiti nostro capillum evellere potest: cum ipsius vicissim adiutorio plura efficiemus, quam omnes terræ gigantes. Sane cum Hebræi, Nu. XIV. desperarent de ingressu terræ sanctæ, quod ipsi respectu Palæsthorum essent veluti locustæ, Dominus hanc illorum diffidentiam puniturus, se illorum parvulos dixit in Palæstinam introducturum, maturos autem in deserto occisurum; cum ipsi e contra dixissent parvulos eorum futuram prædam hostibus. Itaque ad ignominiam parentum, parvulos eorum introduxit, quo ipsi se intrare posse desperaverant.

II. Qualis et quanta est Dei sapientia? Primo, est infinita, extendens se non solum ad omnia quæ in mundo et de facto sunt, eorumque secretissimas et minutissimas partes, figuras, colores, qualitates, conditiones, situs, motiones, momenta, ad omnes vermiculos, muscas, gramina, folia arborum, pilos animalium, arênas littoris et deserti, guttas maris, stillas pluviarum, crispationes undarum, foliorum motus, angelorum et hominum cogitationes, etc. sed etiam ad omnia alia quæ ipsius omnipotentia facere potest, ad infinitos mundos et modos agendi rerum possibles; adeoque ad hypotheses, quid posita tali re fieret vel fieri posset; ita ut verissime dixerit propheta: *Sapientia ejus non est numerus*, Ps. CXLVI.

Secundo, hæc omnia novit et quidem accuratissimè ac perspicacissimè, imo tam perfecte et distincte, ac si tota vis mentis illius in unum duntaxat illorum esset intenta. Unde S. Gregorius, l. XXV. moral. c. XLX. ait: *Sic intendit Dominus singulis ac si vacaret a cunctis: et sic simul intendit omnibus ac si vacaret a singulis*. Nos quidem quæ oculo contemplamur, non pari perspicacitate omnia videmus, sed propinquiora et clariora perspicacius, remotiora et obscuriora obscurius. Par ratio est in intellectu qui clarius intuetur ea, quæ primis principiis cognatiora sunt et immediate ex iis fluunt: imperfectius vero, ea quæ ab illis longius distant. At Deo omnia omnino æque propinqua, æque clare et perfecte sunt, ita ut nihil prosus ei occultum aut minus perfecte cognitum possit esse; sicut impii homines solent existimare, qui dicunt apud Job cap. XXII. *Quid novit Deus? Et quasi per caliginem judicat: nubes latibulum ejus, nec nostra considerat et circa cardines cæli perambulât*.

Tertio, uno omnia intuitu et simul, non successive videt; quia radius oculi divini extendit se per totum tempus totamque æternitatem, incurrens in omnia quæ aliquando existunt. Sicut igitur oculus corporeus maximè perspi-

ciæ in altissima specula constitutus simul videret omnes vias earumque principia, media et fines; et qui in iis constituti ambulant: ita oculus divinus super omnia temporalia et mutabilia fertur in totum temporis decursum et in omnia quæ in tempore fiunt: nec aliter videt cum jam sunt, quam antequam essent, aut cum esse desierint: sed eodem modo semper, secundum totum statum quem toto temporis successu habebunt, quia sua infinita vi omnia hæc transcendit.

Quarto, omnia non per speciem, nec per speculum aut perspicilla, non per experientiam aut affectus, non per causas propinquas et creatas, nec per actum elicitum, sed in essentia sua cognoscit, quæ est omnium suprema causa, efficiens, finalis et exemplaris. Comprehendendo enim essentiam suam, hoc ipso comprehendit omnia quæ fecit et quæ facere potest secundum omnes modos eorum et circumstantias etiam possibles. Colligimus hæc omnia partim ex Scripturas s. quæ infinitam Dei sapientiam miris modis prædicat, uti ad Rom. XI. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, etc!* partim ex ratione, quæ ostendit tantam esse debere Dei sapientiam, quanta est potentia, quia per sapientiam omnia operatur. Unde S. August. l. XI. de civit. c. X. ait: *Mundus iste nisi Deo notus esset, esse non posset*. Partim ex structura corporum viventium, præsertim et animalibus, in qua inexplicabilem sapientiam in sapientissimum ac potentissimum opificem deprehendit: Galenus præstantissimus medicus; inde tamen miser quod eum non agnovit; de eo enim, in l. de format. fetus ait: *Quis vero hic sit, pronuntiare non audeo, per consilii inopiam omutescens*: partim ex vultuum humanorum diversitate; nusquam enim reperiuntur duo per omnia similes: partim ex cælorum motu regularissimo: partim ex mirabili rerum creaturarum varietate.

Jam vero ex hac consideratione discimus primo, non alte sapere, sed humiliter de nobis ipsis sentire. Si enim nos ne unius quidem formicæ naturam, formationem, indolem, vitam, ætates cognoscere possumus: quomodo perspicemus alia a sensibus remotiora. Omnis omnium angelorum et hominum perspicacia et intelligentia, respectu divinæ illius, non est tanta, quanta una gutta respectu totius oceani; quid ergo mea scientia erit? Jane M. Aurelius imperator ob doctrinæ laudem philosophus cognominatus, ad uxorem ita scribit: «Sapientium sapientissimus est, qui se minimum scire arbitratur: et rudium rudissimus, qui se plurimum scire autumat. Si quis enim est qui multa norit, semper invenit altum qui plura norit.

Maxima pars eorum, quæ scimus; est minima eorum, quæ nescimus.

Secundo, summa reverentia Deum omnia nostra acta, dicta, cogitata perpetuo inspicientem, perfectissime notantem colere et timere. Si enim qui versantur in oculis principum, magna diligentia cavent, ne quid admittant, quod eorum oculos offendant; quanto magis nobis attendendum, qui in Dei judicis nostri conspectu omnia agimus, ne quid committamus, quod displiceat ejus oculis. Certe Samaritana ista cum dicentem audisset Christum: *Ego sum*, (Messias scilicet) *qui loquor tecum*, hoc verbo consternata, reliquit ad fontem hydriam suam et abiit in civitatem, quasi præsentiam Messie, qui omnia ejus acta nosset et ex parte indicasset, ferre non sustinens, Joan. IV. Quo igitur animo, et qua fronte magni peccatores audent coram Dei oculis vel uno die stare: qua fronte nova scelera sceleribus adjungere?

Tertio, candide et sincere agere cum Domino Deo, v. g. cum reddimus illi vota nostra, cum confitemur peccata nostra, cum commercia tractamus, etc. siquidem nulla humana astutia, nulla celeritas, nulla tergiversatio Dei oculos decipere aut subterfugere potest. Videt ipse pugionem etiam quem sub pallio geris, videt omnes machinationes tuas: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*. Facillimum est Deo omnes hominum astutias eludere, ipsius sapientiam nemo eludere potest. Conati id quidem sunt non pauci, veluti fratres Josephi dicentes: *Venite occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem, et tunc apparebit quid prosint illi somnia sua*, Gen. XXXVII. Verum frustra laborarunt: dominus illorum factus est. Conatus id ipsum erat Achab, omne pondus prælii declinando in belli socium Josaphatum, et vulgarem induendo vestitum, quo vaticinium Michææ cædem sibi vaticinati eluderet; sed frustra, sagitta enim in incertum jacta (non sine respectu Dei, qui eam direxit) inter juncturas lorice (ut habet Chaldæa versio) aditum invenit ad vulnerandum sternendumque regem, III. Reg. ult.

III. Quanta et qualis est Dei misericordia? Tanta primo, ut pronior sit ad miserendum quam ad puniendum; siquidem ad misericordiam motu proprio se inflectit, ad justitiam motu alieno exigentibus hominum delictis. Unde Ps. CXLIV. dicitur: *Miserationes ejus super omnia opera ejus*. Et propterea etiam vocatur: Pater misericordiarum, II. Cor. 1. «Recte, inquit S. Bern. ser. V. de natali Domini, non pater judiciorum vel ultionum dicitur, sed pater misericordiarum: non modo quod pater videatur misereri potius quam indignari: sed eo magis quod miserendi causam et originem su-

mat ex propriis; judicandi vel ulciscendi, magis ex nostro, (ex nostris scilicet peccatis.)» Quare prius ordinarie adhibet media misericordiæ, quam exerat justitiam. Hujusmodi autem sunt imprimis minæ, quas in ss. litteris intendat nocentibus non tam ut eos feriat quam ut respicere faciat, ne feriat, juxta id Ps. VI. *Arcum suum tetendit et paravit illum*: in quem locum S. Gregor. l. XIX. mor. c. XXII. ait: *Arcum suum Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per Scripturam s. minas exhibuit*. Deinde, præmonitiones et præsagia cladum imminentium; quæ præmisit excidio Jerosolymæ primo, sub Tito per hominem rusticorum clemantem: *Væ, væ Jerosolymis*: secundo, sub Hadriano per ruinam sepulcri Davidici, auctore Dione Casso, in Hadriano; et nuper oppido Piure (seu Plurs) in valle Telina, subjecta Grisonibus, montis ruina oppresso omnibus cum incolis (censebantur ad tria millia), quinque tantum exceptis. Hujus enim cladis præcessit indicium, fluminis, quod oppidum interluebat, siccatio, ac duo examina apum ita furiose inter se depugnata, ut utrinque omnes mortuæ considerint, ut scribit Corn. a Lap. in c. VI. Apoc. Denique, tales sunt ipsæ pænæ temporales, quas ad correctionem hominum immittit Deus, quo emendati respiscant, ne æternum eos punire cogatur. Unde August. serm. XXXVII. de verb. Domini: «Magnæ misericordiæ est, inquit, nequitie impunitatem non relinquere, et ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur castigare.»

Secundo, miseretur et præmiat semper ultra condignum, punit vero citra condignum, in inferno, uti docent doctores; et ostendi potest ex cap. XX. Exodi, ubi ait: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me*. Punire igitur vult in tertiam et quartam generationem, et hoc si nepotes et pronepotes imitati fuerint avos in malitia, ut advertit S. Chrysost. in c. XXIII. Matth. Unde ibidem additur: *Eorum qui oderunt me, imo ut S. Hieronymus, in c. XVIII. Ezech. scribit, indicat se differre velle pœnam in tertiam et quartam generationem. At misericordiæ suæ terminum non præfigit, paratus misereri in mille generationes et amplius. Ratio est, quia peccata eum infinitam contineant malitiam, infinitam requirent pœnam. At opera nostra bona, finitam bonitatem habent, et tamen æterna gloria præmiantur.*

Tertio, nemini misericordiam suam denegat, sed omnibus eam offert, juxta id Psal. XXXII. *Misericordia Domini plena est terra. Cæterum*

maxime eam impendit tempore tribulationis, et quo afflictor quisque est, eo propior ipsi est et paratior ad opitulandum, juxta id Psalmi. XC. *Cum ipso sum in tribulatione.* Colligere id possumus ex languido jacente ad piscinam per annos triginta octo. Hunc enim: *Cum vidisset Jesus jacentem et cognovisset quia jam multum tempus haberet, necnon quia omnium miserri- mus non haberet quemquam qui eum mitteret in piscinam, adeoque desperatus esset, præ reliquis sanavit, Joan. V. indicans ibi divinum succurrere auxilium ubi deficit humanum.*

Quarto, non contentus nostras miseras suble- vare, voluit easdem quoque in se sentire, imo etiam a nobis in se transferre; quod ut facere posset, naturam humanam assumpsit, in qua non solum miseras nostras sensit, nobis com- patiendo et nobiscum lacrymando, sed etiam in se transtulit, pro nobis patiendo; qui profecto summus misericordiæ gradus est. Hoc indicavit Dominus in parabola de ove perditâ, quam in- ventam herus imposuit in humeros suos et detulit ad ovile, suos pedes ac vires concedens ovisculæ delassatæ, suo labore quietem ei pa- rans, Luc. XV.

Visa hæc tanta misericordia, nostrarum par- tium est primo, Deo pro tantis miserationibus immortales agere gratias, easque cordi nostro firmiter insculpere ac dicere cum Davide, Ps. CII. *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus; qui propitiatur omnibus iniqui- tatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Hæmorrhœissa illa in gratiarum actionem, quod a Christo sa- nata esset, statuam ejus effingi et præ foribus suis statui curavit cum effigie sua prostrata ad Christi pedes, Sozom. I. V. c. II. Niceph. I. X. Carolus M. imperator cum post diuturna bella, victoriam de Saxone et Saxonia adhuc gentili reportasset cœlesti auxilio, locum obtentæ victoriæ in perpetuum beneficii memoriam appel- lavit *montem adjutorii*, teste Cranzio, I. II. c. IV. ad exemplum scilicet Samuelis, qui et ipse ob victoriam cœlesti ope partam erexit lapidem ad rei memoriam vocans eum *lagidem adjutorii*, I. Reg. VII. Quando igitur et nos per Dei miseri- cordiam et sanati sumus a peccatis nostris, et victoriam reportavimus de diabolo; nonne æquum est ut hoc beneficium insculpamus cordi nostro, et statuamus ibi Deo nostro æter- num monumentum?

Deinde, nostrum est confidere in Deo, et tan- to quidem magis, quanto res nostræ afflictiores et desperatiores sunt. Quanta in angustia erant res Davidis, cum a copiis cinctus undique in oppidum coronæ desperaverat se posse evadere?

Repente tamen sensit mirum Dei præsidium, quando insperatum Sauli nuntium venit, infu- disse se Philisthæos in ipsius terras; unde coac- tus Saul deserere Davidem, majorique necessi- tati consulere, salutem Davidi reliquit, qui in ea angustia Deum invocarat Psalmo illo LIII. *Deus in nomine tuo salvum me fac*, ut ostendit titulus. Quam in arcto erant res Judæorum, cum Amanis factione omnes ad necem destinati essent, diesque internecioni jam decreta? At inde tamen mirabiliter et repente erepti sunt opera Estheris et Mardochei, dantes illis gra- tiam Deo in conspectu regis et vertente iram ejus in Amanem.

Denique, nostrum est misericordiam repen- dere: quod facere poterimus, si misereamur pauperum, in quibus esurit Deus, habiturus quasi sibi datum, quidquid ipsis dederimus. Alioquin jure merito poterit increpare nos voce illa: *Serve nequam, nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Matth. XVIII.

IV. Quælis Dei justitia? Primo, tam exacta est, ut in omnia omnino etiam levissima pecca- ta animadvertat, nisi per penitentiam hominis deleta fuerint. Sic enim legimus in evangelio Matth. XII. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines reddent rationem in die judicii.* Et sicut haustus aquæ frigidæ datus sitienti non perdet mercedem suam, Matth. X. ita vicissim minima injuria Deo vel proximo illata reperiet multam suam.

Secundo, tam certa est, ut sit inevitabilis. Vigilat enim super peccatores, eosque semper observat quocumque eant; unde Jer. I. voca- tur *virga vigilans*. Eam inter cæteros expertus fuit Jonas, qui primo quidem tentabat effugere Dei manum ac virgam, cum a facie ejus fugit, navim inscendens et pergens in Tharsis, sed ibi mox deprehensus et immissa tempestate proditus ac demum retractus est ad munus sibi injunctum exequendum. Idem sensit Anastasius imperator Eutylianæ hæresis fautor, qui ut refert Zonaras, to. III. «Deterritus est somnio. Vidit enim virum terribilem, qui librum manu gestans diceret: Ecce ob perversitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deiec, et quia fatale sibi esse ex oraculo didicerat, ut fulmine interiret, Tholotum ædificium constru- xit, in eoque degit, sed frustra. Nam cum ali- quando tonitrua horrendum in modum resona- rent et fulgura multa eliderentur atque ipse perterritus e cœnaculo descenderet, et alios atque alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo mortuus est inventus.» Hæc ille. Sane fulmine, quod se putabat effugere, ictus est, ut Cedrenus explicat. Ac licet subinde Deus

PROBATUR EXISTENTIA REALIS CHRISTI IN EUCHARISTIA.

I. Ex Scriptura. — II. Ex Conciliis. — III. Ex praxi Ecclesiæ. — IV. Ex miraculis. — V. Ex Lutheri testimonio.

THEMA.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. ult.

Legimus IV. Reg. II. Eliam cum jamjam a Deo tollendus esset, et Elisæus ejus discipulus deserere eum nollet, dum in turbine tolleretur, pallium ei suum dereliquisse: quo quidem Eli- sæus mirabilia patravit. Nobis etiam, auditores, discedens in cœlum Christus reliquit in sola- tium pallium humanitatis suæ in eucharistia. Ita enim S. Chrysost. hom. II. ad pop. Antioch. ait: *Elias melotem discipulo reliquit: Filius au- tem Dei ascendens nobis suam carnem dimisit, sed Elias quidem exutus, Christus autem et eam nobis reliquit, et ipsam habens ascendit.* Hoc indicavit Dominus cum ascensurus dixit: *Ecce ego vobis- cum sum, etc.* Sed occurrunt nobis Calvinus et Zwinglius quasi prædones duo, conantes nos spoliare melote ista, dum realem Christi in eucharistia præsentiam evertere ejusque loco figuram tantum et umbram illius substituere conantur. Verum absit ut sinamus nobis eripi hoc pallium et veritatem corporis Christi. Ita- que pro ejus defensione pugnemus, auditores.

I. Scriptura id aperte assertit et unanimi con- sensu, Matthæus, c. XXVI. Lucas, c. XXII. Marcus, c. XIV. aiunt Dominum dixisse: *Hoc est corpus meum:* et Joannes, c. VI. *Caro mea vere est cibus, et san- guis meus vere est potus:* ibidem Dominus quin- quies se esse panem assertit: accedit S. Paulus, I. Cor. X. *Calix cui benedicimus, nonne communi- catio sanguinis Christi est? Et panis quem frangi- mus, nonne communicatio corporis Christi est? Et c. XI. Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, etc.* Jam vero verba Scripturæ proprie accipien- da esse clamant indesinenter, ipsimet expressi verbi Dei præcones. Cur igitur hic ab expresso verbo Dei ad figuras et metaphoras descendunt? Sed figuram hic nullam esse probatur.

Primo, quia verba illa institutionis eucharis- tiæ legem continent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Verba autem legis, nisi clara expres- sa et propria sint, legislatoris insipientiam arguunt et facile excusant eos qui contra legem agunt. Possunt enim dicere subditi: Si legislator noster observari vult legem suam, aperte nobis loquatur.

Secundo, quia verba illa testamentum, seu voluntatem ultimam testatoris continent; eam

differat ultionem, minimè tamen fallit, ut sen- sere impii in diluvio quod centenis annis prius quam immissum foret, ipsis prædictum fuerat, nulla tamen ratione creditum; sed derisum, (ut scribit Pærosus Chaldaeus, l. I.) tandem vero elapsis centum annis, manibus palpatum. Sen- sere Amalecità, qui quoniam Hebræis transitum denegarant in terram promissionis, post trecen- tos primum annos jussu Dei a Saule delèti sunt, I. Reg. XV.

Tertio, tam severa est, ut nemini prorsus parcat, etiam amicissimis alioquin, si deliquè- rint. Non pepercit nobilissimo angelo, non primis nostris parentibus, imo nec Filio suo, qui ex charitate alienas in se suscepit culpās; non pareit in purgatorio justis et dilectis suis animabus, ut vel unum quadrantem remittat, nisi interveniant preces Ecclesiæ.

Quarto, tam gravis et horrenda, ut nullis sæculi hujus severitatibus comparari queat. Hinc enim apostolus ad Hebr. X. scribit: *Horren- dum est incidere in manus Dei viventis:* et si teste eodem apostolo, I. Cor. II. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus his qui diligunt illum,* sequitur vicissim reproborum pœnas inestimabiles etiam esse. Colligi id potest ex compluribus divinæ justitiæ operibus, exterminio malorum angelo- rum, exilio protoplastorum, cataclysmo, incen- dio Sodomæ, plagis Egyptiacis, excidio Jero- solymæ, pœnis gehennæ æternis et igne inextinguibili. Atque ut hanc justitiæ severita- tem firmiter animo imprimeremus, voluit quandoque Deus statuere posteris monumentum aliquod supplicii de nocentibus sumpti, veluti cum mortem aliasque calamitates primis nos- tris parentibus et posteris eorum decretas gus- tare in dies cogimur; rursus cum uxorem Loth in statuum salis convertit; cum terram Sodo- marum in fetidissimum lacum quasi in orcum mutavit, etc. Unde jure exclamamus cum pro- pheta Ps. LXXXIX. *Quis novit potestatem iræ tuæ, aut præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Et rursus cum Jeremia, cap. X. *Quis non timebit o rex gentium?* Et cum Joanne Apoc. XV. *Quis non timebit te, Domine?* Quis non omnis generis tribulationes alacriter amplecti, quis non spon- taneas pœnas et carnis castigationes malit suscipere, quam incidere in manus Dei viven- tis? Quis non libenter, ut has manus evadat et in securo portu se constituat, voluptates, hono- res et divitias hujus sæculi contemnat et arc- tam salutis viam capessat? etc.